

positum in naturalibus caussis, sed in voluntate, studio, disciplina.

Animus hominis, quidquid sibi imperat, obtinet.

Cicero Quintum fratrem laudans, quod eos, quibus praeyerat in Asia, provinciā contineret, ostendit his verbis, quid doctrina posset efficere: *Tibi et fuit hoc semper facilimum, et vero esse debuit: cuius natura talis est, ut etiam sine doctrina videatur moderata esse potuisse: ea autem adhibita doctrina est, quae vel vitiosissimam naturam attollere possit.*

CAPUT IV.

QUAESITA VITAE PERICULO SCIENTIA.

1. Philosophus Taurus, vir, memoria nostra, in disciplina Platonica celebratus, cum aliis bonis multis salubribusque exemplis hortabatur ad philosophiam capessendam, tum vel maxime ista re animos juvenum exercebat, Euclidem quam dicebat Socraticum factitavisse. Decreto, inquit, suo Athenienses caverant, ut, qui Megaris civis esset, si intulisse Athenas pedem prehensus esset, ea res ei homini capitalis esset. Tanto Athenienses, inquit, odio flagrabant finitimorum hominum Megarensium. Tum Euclides, qui indidem Megaris erat, quique ante id decretum, et esse Athenis, et audire Socratem consueverat, postquam id decretum sanxerunt, sub noctem, quum advesperasceret, tunica longa muliebri indutus, et pallio versicolore amictus, et caput rica velatus, e domo sua Megaris Athenas ad Socratem commeabat; ut vel noctis aliquo tempore consiliorum sermonumque ejus fieret particeps: rursusque sub lucem, millia passuum paulo amplius viginti, eadem veste illa tectus redibat.

2. Antisthenes discipulos hortabatur ad dandam operam sedulam sapientiae: at pauci obtemperabant. Itaque

P. Syr. v. 45. — Cie. ep. ad Fr. 1, 1. 2. — Cap. IV. A. Gell. N. A. 6, 10. — Aelian. V. H. 10, 26. — Diogen. Laert. 6, 21.